



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1176. Usque Ad Annum 1203

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1763**

**VD18 90118022**

§. 18. Petri Blesensis extrema.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66394](#)

Sæcul. XII.  
A.C. 1199.

quam pater habiturus fuisset, succedat  
Constantia igitur Arti mater, Turonem  
profecta, adolescentulum, post obitum  
patris natum, tunc duodennem, Regis  
Franciæ, Domini sui, potestati tra-  
didit.

### §. XVIII.

#### *Petri Blesensis extrema.*

Sup. Lib.  
LXXII.  
§. 15.

ep. 123.

Sup. Lib.  
LXXIII.  
§. 14.

In hoc ferme tempus obitus Petri Ble-  
sensis, post annos triginta, ex quo ex  
Sicilia in Angliam redierat, incidit. Is  
usque in senectutem Diaconus, Richar-  
do Episcopo Londinensi urgenti, ut Pres-  
byterum se ordinari pateretur, data lon-  
ga Epistola respondit, & argumenta, que  
ipsum deterrebant, opposuit: *Sacerdo-  
tii reverentia, inquit, non contentus me  
probibet. Omnibus artibus contremisco,  
quando supremam Sacramenti Altaris  
Dignitatem considero.* Ideo Ordo Car-  
tusiensis raro sacrificat. Video hodie,  
quod erumpentibus lacrymis dico, innu-  
merabilem multitudinem hominum, illi-  
teratorum & secundum legem carnis  
viventium, eminentissimo Ministerio ap-  
propinquare. Video, inquam, Sacerdo-  
tum multitudine Sacramenti Dignita-  
tem vilesce. Longa pœnitentia pecca-  
ta expianda sunt, antequam ad Altare  
accedere liceat. *S. Paulus Eremita,  
S. Antonius, S. Hilarion, & ipse S. Be-  
nedictus.*

nedictus nunquam ad Sacerdotii munus Sæcul. XII.  
ejecti, in simplicitate animi salutem A.C. 1199.  
suam consecuti sunt. Diacono quoque  
suum est officium, cui utinam ego mi-  
ser satisfaciam! Sæpe Archiepiscopi  
Cantuarienses, Domini mei, instabant;  
Sacerdotem ordinari me sinerem. Sed  
ego sperabam, me, ut alterum Lauren-  
tium, S. Thomam Cantuariensem vel  
in exilium vel ad Martyrium securu-  
rum esse. Nullibi vero legi, Archidia-  
conum ad suscipiendum altiorem ordi-  
nem æque compelli posse, ac simplicem  
Diaconum, si id casus necessitatis postu-  
let, ut in Concilio Carthaginensi sta-  
tuitur. Vidimus in Ecclesia Romana  
viros in ordine Diaconorum usque ad  
decrepitam ætatem & usque ad mor-  
tem perseverare. Cælestinus Papa, qui Sup. Lib.  
bodie sacram Sedem tenet, annis sexaginta quinque Diaconus fuit; quod ex  
ipsius ore sæpe audivi. Ex his dispici-  
mus hanc Epistolam post annum mille-  
simum centesimum nonagesimum pri-  
mum, & ante annum millesimum cen-  
tesimum nonagesimum octavum scri-  
ptam fuisse.

Nihilominus Petrus Blesensis, ami-  
corum precibus resistere non valens, sub-  
finem vitæ suæ Presbyter ordinatus est.  
Id enim cognoscimus ex ejus Epistola  
data

Sæcul. XII.  
A. C. 1199.

data ad quemdam Abbatem, cuius oratione in hoc sacro negotio adjuvari petit. Tum dimisso Archidiaconatu Bathoniensi ad Londinensem translatus est. Quia vero vir ætate gravis variis corporis infirmitatibus premebatur, data Epistola Innocentium Papam rogavit, ut egenæ huic Dignitati consuleret, que sine redditibus solo splendore spectabilis erat. Numerantur Londini, inquit, hominum quadraginta millia, & Ecclesia centum viginti. Nec tamen accipio Decimas, nec oblationes Laicorum, nec ab Ecclesiis illa quæ ob ius Synodicum, vel Cathedræ, vel procurationis seu hospitii petere possem mibi dantur. Episcopis igitur Eliensi & Wintoniensi præcipe; Archidiacono Londinensi certos census, ea ratione qua alii habent, statuant; quod ut exequi valeant, Regis præsidium petant. Magnam librorum vim a Petro Blesensi accepimus, Epistolas, Sermones, aliasque Tractatus, locis communibus, & cumulatis S. Scripturæ textibus pro illius ævi ingenio refertos. Ex quadam Epistola videmus, Petrum Medicinæ peritum, & non nunquam ad curandos ægrotos fuisse vocatum.

ep. 43.

§. XIX.